



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis

Ribadeneyra, Pedro de

Mogvntiae, 1603

II. Rem Societatis publicam gerere cœpit

urn:nbn:de:hbz:466:1-45256

dimicantibus, auxilium nemo ferret. Melitam verò summi Pōtificis Pij vigilantia, & opibus Philippi II. Regis verè Catholici, adhæc militari virtute Equitum, quibus eam olim insulam Carolus V. Imperator defendendam tradiderat, liberatam vidimus. Militum copijs quæ suppetias ferre iussæ erant, Socij additi sunt, ex eo ipso aggregatorū Patrum numero: qui militibus animum, memtemque piam addere conarentur.

CAPVT II.

Rem Societatis publicam gerere cœpit.

PRIMA iam cura, dimissis in Prouincias Sociis, fuit, quando ab origine pendent omnia, de tirocinij domo Romæ constituenda: in qua iuuenes, qui

L 5

fre-

frequentes quotidie ex omnibus Europæ urbibus confluebant, Societatiq; adscribi cupiebant ad pietatem, & religiosas exercitationes informarentur: ne ignorarent, quo modo orandus DEVS, qua ratione spiritui caro subijcienda, & animi perturbationes domandæ; denique vt pueri Catechesi Christianæ doctrinæ imbuendi essent. Episcopo Tiburtino eam DEVS mentem indiderat, vt templum S. Andreæ sacrum Sociis traderet, quod in colle Quirinali visitur. Nec diu post, eandem beneficentiæ voluntatem dedit Ioannæ Aragoniæ, quæ nobilissima matrona Ascanio Columnæ nupta, singulari pietate in DEVM fuit, & in Socios liberalitate. Domũ enim in eodem colle, annuosq; redditus attri-

tribu
uin
iuffi
ciera
pieta
que
recē
Alte
uin
hod
app
ere
fess
mo
tur
tas
na
Ro
do
ne
Fr
ad
re

tribuit. Idem in omnibus Pro-
 uincijs FRANCISCVS teneri
 iussit, vt sua cuique tironum So-
 cietatis domus esset, in qua ad
 pietatē informarentur, specimē-
 que sui darent, qui se Societati
 recēs, Deo vocante, addixissent.
 Alterum item Gollegiū in Pro-
 uincijs instituendum curauit,
 hodieque Seminarium alicubi
 appellatur, vbi iis artibus imbu-
 erentur, quæ humanitatis Pro-
 fessori, qui alios docere com-
 mode posset, necessariæ viderē-
 tur. Cumque recens nata Socie-
 tas tunc esset, omnes Transalpi-
 narum gentium adolescentes
 Romam bonis artibus instruen-
 dos mittere incredibili sumptu
 necesse erat: cui incommodo
 FRANCISCI consilio remediū
 adhibitum vt in principiis doce-
 rentur. Ædes item sacra domus

Pro-

Professorum, paucorum capax
 erat, cum multi ad rem diuinā,
 & Sacramentorum, hortantibus
 Sociis, frequentem vsum, ac
 Verbi D E I sermonem con-
 fluerent. Hanc igitur amplissi-
 mo Cardinali Alexandro Farne-
 sio D E V S mentem pariter inie-
 cit, vt & Pietatis studio, & in
 FRANCISCVM amore addu-
 ctus, augustissimum templum à
 fundamentis exstruendum cu-
 rarit, videritque ad rectum per-
 ductum: augustum in primis, si-
 ue architecturæ: artem spectes,
 siue ornatum. In cæteris verò
 quibus FRANCISCVS curis an-
 gebatur, frequentes erant litte-
 ræ ex omnibus terrarum oris, &
 quidem principum in Repub.
 virorum, vt somno sæpenume-
 ro tempus demere opus esset. si
 omnibus satisfactum vellet. Alij
 enim

enim Socios ad se mitti postulabant: nonnulli Collegia apud se excitari: non nemo rogare, ut pro incolumitate sua Deum precaretur. Quod & olim Regibus studio fuisse, ex Athanasio discimus: qui ad Antonium Abbatem scribere solitū Constantinū, refert; ut se fidemq; Christianam Deo precibus commendaret. Quamuis vero crebræ litteræ multum & operæ eriperent, & somni, nihil tamen destinati temporis orationi ad Deum fusæ detrahi, quo pietatis progressum contineri dicebat, patiebatur. Cum Deo enim potissimum esse agendum, in primisq; eius regnū studiosè quærendum. Mox Principum Christianorum salutem, à qua penderet reliquorum, Deo commendandam,

*Athansio
in vita
Antonii
Niceph.
lib. 12.
cap. 39. de
Theodosio
minore.*

CA-